

HYMNVS,

SEV CANTICVM
AD DEVUM.

VI B V S C V N Q V E, ô Iubar
splendidissimum, tantum cui lu-
minis imperfisti, vt quemad-
modum sicutentes ad limpidis-
simum fontem, ita hi ad contem-
plandam laudandamque Diuinitatem tuam
amore rapiuntur, maximam illis felicitatis
partem adesse haud dubium est. Et quanquam
nomine, neque similitudine, neque magnitu-
dine, aut alio quovis exemplo, ostendere aut
comprehendere Te queam, vt qui Tui tan-
tum similius sis, nihilominus inefficaces
meos conatus exprimere malui. Pium hoc
opus, Excelse Deus, nisi Tu ipse adiuvueris,
non solùm infans quisquam homunculus,
qualis ego sum, sed neque principales mentes
qua Tibi assistunt, inchoare possunt. Non ego
furore quasi fanatico id ausus sum, vt qualibet
unusque verbis qua plurimum à te absunt,
Tibi tribuam. Horret animus, quum furem,
iram, misericordiam, indignationem tantæ
Majestati tribui audio: sed religiosi Viri quâ-
tum hominibus prodesse voluerunt, iustitiae
declarantes effectus, tantum dignitati tuæ de-
traxerunt. Ita licuit, te permittente, vt popu-
lus omnium bonorum rudit, qualicunque
modo à cultu tuo non abalienaretur. At nes
hymnū non populo sed Diuinitati, non homi-
nibus sed Deo canimus. Lumen igitur sapien-
tiae, quæ à Te solo habere licet, indulge, vt
quantum homini fas est, àe tua potestate, sa-
piencia, æternitate, beatitudine, amore, ac be-
neficiis erga nos non solùm, sed vniuersa quæ
genisti; quæ creasti, quæ fecisti, quæ esse vo-
luiisti, vt melius exprimam, verba habere pos-
sim: nec in perturbationum nomina, aut de-
fecta, aut aliquid quod non solùm nihil
quod in Te sit, exprimat; nam hoc vitare me
non posse satis intelligo: sed saltem cum di-
gnitate tua nullà similitudine conueniat, in-
cidam. Veniam peterem pro tanta temeritate.
Numen ô Maximum ac Presentissimum, &
non coram Te verba facerem, qui intelligas,
non hæc ab audacia, sed amore illo erga Te
ardentissimo, quo me imbuisti, proficiisci.
Nam eti ego quod humanarum virtutum est,
non potuero præstare, aliis forsan mente
purioris melius adimplebit. Intertim vero reos
omnes agam mortales ingratitudinis, erga
tanta tamque assidua beneficia, impudentia
aduersus tantam sapientiam, temeritatis ad-
uersus infinitam potestatem, denique stulti-
tis, debacchionum suarum momentanea-

rum, in perpetuo æternitatis tuæ conspectu.
Ignoscere mihi tamen, ô Splendor infante, tot
maculis, tot peccatis, quibus anima mea in-
terim sedata, deturpata, atque conspurcata
est. Scio quantum aberem in sermone, dum
vt ignoscas, non ignosci mihi postulo: Ve-
rū quod alios detergere potest, atque à pro-
prio sensu auertere, & ex mentis statu dejice-
re, hoc mihi nunc præsidio est, cùm non mi-
nor sit liberalitas quam potestas, & amor ip-
sa Maiestate. Non patitur præsens præsentem
aberrare. Iam intelligo non mouendos affe-
ctus, non mihi comparandam benevolen-
tiam, non angendum id cuius nec minimam
particulam æquare possum. Nihil tuâ causa à
me dicendum, qui plorè in te ipso solus sis
beatissimus. Nulla laude etiam opus est apud
alios, qui à tot Illustrissimis mentibus perpe-
tuò lauderis. Quid ergo huc accessisti, dicet
quispiam? vt quod Parenti seni præstat Fi-
lius valens & probus, ita Regum Regi hu-
millime fortis homo ex debito quantum licet
reddat. Tria enim cùm sint, propriez, qua grati-
tas promerentibus reddimus, vt illis prosi-
mus & apud audientes testemur honoris de-
bitum, & vt officio nostro fungamur, hoc
hîc præstare licet: Primo opus non est, reli-
quum partim vñi est, partim autem non. Nâ
immortalibus persuadere hæc, aut docere vel-
le qua ipsi locupletius adepti sunt, absurdissi-
mum est: mortalium autem plerisque forsitan
hanc inutile fuerit. Itaque in re prorsus diffi-
cillimâ, ac supra etiam horum numinum vi-
res, facilem mihi aditum prebuisti. Etenim
mortali cum immortali, miserrimo hominu-
culo cum excelsa potestate, rudi cum supra-
sapientia, impurissimo cum optimo, meticulo-
lo ac pauido cum ipsa securitate, curis obru-
to cum beatissimo nulla esset societas, nullæ
similitudo. Diuinitatis tuæ fauore & præsen-
tiâ tanti apparatu mens impletur, animus
augeatur, memoria confirmatur, studium ac-
cenditur, vt nesciam iam quid difficilis sit,
deserere cœptum iam opus, an pro viribus
adimplere. Nos me terrent incommoda plu-
rima, quod & tui & tibi assistentium, & mor-
talium rationem habere oporteat: cùm Tibi
nihil nisi candidum placere possit, assistentes
maiorem desiderent sapientiam. Nemo enim
ea qua melius nouit, libenter audit; morta-
les captari & affectus moueri volunt. Tum
demum quod qua nôrim, maximâ ex parte
Qmipotenti Regi non congruant, qua tu
habes,

habes, omnia pene mihi ignota sunt. Verum gaudium quod ex hac laudatione capio, efficit ut non solum labor hic mihi dulcis sit, sed etiam incursus, adeo ut in ipso opere mirum in modum gestam. Quid enim suauius mihi esse potest, quam arcana tua posse non solum abs te assequi; sed etiam aliis mortalibus explicare? Quid gratius, quam pro tot beneficiis, me unum quasi per vniuerso mortalium genere gratias tibi agere? Quid pulchrius, quam tua posse in omnes commemorare beneficia? Quid denique excelsius, quam praecalaria magnificaque dona vite, virtutis, veritatis ac sapientiae, quaeque solum vere bona sunt, non solum apud immortales hos Deos, sed etiam apud nos ipsos mortales, quibus sumus, quibus felices vivimus, quibus nos his Diis similes effecisti, quae solum abs te ipso accepimus, recensere? Quid si ego te in te genitam immensam Sapientiam effluentem perpetuò, tanquam perennem fontem, ardentissimum amorem adiiciam, nonne ego sapiens ipsa cogitatione, atque beatus efficiar? Inuitat ad dicendum largitio tua liberalissima, quam me tot annis felicem esse voluisti, in omnibus calamitatibus opem subministrasti: denique hoc tanto tui amore accendisti, ut videaris, o summa benignitas, flagitia mea mihi noluisse imputare. Itaque has tibi veras preces, veras supplicationes fundo, Optime Maximeque Deus, atque Deorum Deus, omnibus hymnis præstantiores: Nam etsi numero pede non fuit oratio, splendor rerum ipse multo venustius liberum dicendi genus efficit. Quid enim dignius, aut tantæ Majestati conuentius quam simul referre magnitudinem potentiae, sapientiaeque ac liberalitatis tua? ut qui cum infinita cognoscas, omnia possis, liberalissimè dona tua in vniuersos imperiari. Quamobrem ego tibi soli, inquam tibi soli, etiam vel ob id tantum, quantas possum gratias debere confiteor, agoque, quod huic tam digno negotio, tam laudabili operi, tam excelsa prouincia, ut per me hymnus hic, hoc canticum dicatur, me præfeceris. Quis enim Te sine te cognoscere aut laudare potest? Quis puros candidosque animos, sacraque verba, ab alio, quam teipso puritatis, candoris, benignitatisque fonte vnuquam accepit? aut quis mihi purus, &c, ut dicunt, illotis manibus, te laudare audeat aut possit? O! felicem mihi diem hanc, o beatam sortem & supra mortalitatis conditionem, memorabilem, posterisque omnibus celebrandam? Tibi, inquam, o summe Deorum immortalium Pater, Tibi prima haec gratia debetur, velut optimo & potentissimo rerum omnium Parenti: qui cum infantulus essem, effecisti laudum tuarum præconem. Tu principium ante omnia, omniisque salus, bonum immensum, potestas infinita: in te ipso collecta æternitas, ac quasi momentum extreius explicas in Diis, non tu in illa constitutus es: In cuius contemplatione felicitas solum nostra conficitur. Nam & exemplo cæterorum immortalium Deorum, qui beatissimi sunt, & nullâ alia causa, nisi quod te affidit intueantur, & quod felicitas omnis in bono constituta sit, quod in te solo & purum & perfectum est, cum immortales hi Diis bonum purum, sed haud perfectum, nos vero neque perfectum

neque purum possideamus, comprobari potest. In te huius perpetui silentij quo quasi in horto amoenitatis, tantâ voluptate, quiete, securitateque fruimur, fons est. Hinc vix gaudio continere me possum, quin exultem, certe gestire cogor. O stulti mortales! o insani! qui felicitatem vestram vbi non est queritis! in diuitiis, in potentia, in honoribus, in gloria, filiis, amicis, improbaque voluptate: vbi omnia volubilia, inconstantia, caduca, infirma, ac falsis imaginibus plena: Bonum sine bono, securitatem absque securitate, vitam in morte, laetitiam in lordinibus, beatitatem in miseriis, stabilitatem in inconstantia, silentium in turbâ ac strepitu queritis! Quicunque dulcedinem ac suavitatem tuī Numinis, quicunque hoc iucundissimum nectar vel à labris degustarit, ille omnia hæc, quæ vos mortales suspicitis, desideratis, atque admiramini, insipida, amara abominandaque esse deprehender, & si quis vltro offerat, renuet: solum illa admittens, in quibus cū boni mentita specie mādata tua exequi posse sperabit. Nam fatu illas voces Rerorum, Principes ac Reges tam turpibus mendaciis laudantium, nonne omnes vos mortales rideatis: hi vero, si fieri posset, indignè ferant, cū sentinas cadi, rapinarum, libidinum, iniustitiae atque impietatis, sanctos, innocentes, sacrosque appellari auditis; & quod etiam multo impudentius est, stirpes illorum, regna, sceptra, quoque nil absurdius excoxitari potest, homunculos ipsos, qui, ut vester Homerus etiam testatus est, foliis (adēd caduci sunt, ac momentanea in dies singulos vitæ viuunt) similes prorsus sunt, æternos appellare audent: nulli parcunt laudabili titulo, nullum explodunt mendacium, quantumvis absurdum, modò orationem canoram ac gradibus verbis consarcinatam efficiant: tantum in illis est audacia atque temeritatis, in ipsis vero quibus dicuntur panegyrici, amentiae ac stuporis, ut quæ non solum à veritate, sed ab omni veri etiam similitudine abhorrent, illi imponere audeant, ipsi imponi substineant. Ita parasitorum hoc genus efficit, ut neque falsa in illis deprehendere possitis, nec veratum laudum, assuetis fabulas pro historia audire, magnitudinem estimare vobis licet. Et quaque liberiùs, ut lubet, mentiantur, non tam falsa hominum encomia veras tui laudes, o potentissimum Numen, exquate poterunt: Verum hæc minus artis in me, minus industriae ac diligentiae, denique forsitan minus fauoris tui ostendent: cum ego in lætissima segere bonorum, argumentorumque laudis tam sterilis videar; illi ob exercitationem ac audaciam in tam inanibus argumentis adēd locupletes & abundantes. Sed quid hoc est? illi nihil tamen dicunt, sed obstrepunt, nostra, oratio exilis & inornata testimonium solum assert immensitatis tuz. Quid ornamento opus est, vbi quod narrare velis, omnem nuentis nostræ capacitatem, omne figuratum infinito exuperat intercallo? Quid addere velim ei, cuius si vel minimam partem possem attingere, admirabilis omnibus videberit? Quæ mihi arte ad illustrandam orationem illam, que tota per se illustrissima est, & supra omnem nostram cogitationem, vtendum?

Num

Num quis audet potestatis tuae immense opera laudare , vel solum attingere ? Creasti Orbem hunc totum , maria terras , cœlum , astra , tantâ magnitudine , tantâ pulchritudine , vt neque sensus sufficiat , neque mens satis recte apprehendere possit . Et tamen hoc totum quod apprehenditis , quodque vestra estimatione maximum vobis videtur , maiusque illâ longè est eorum quæ vos neque videtis , neque cognoscitis , vix minima pars est : seu magnitudinem magnitudini , seu pulchritudinem pulchritudini , seu dignitatem dignitati conferatis . Quæ cum maxima sunt , & talia ut nihil maius possit existimari , multo tamen majora sunt , potuisse ante æterna esse , immensa abique magnitudine , tempus momento perpetuum , molem ex nihilo , fabricam tam admirabilem absque instrumento , sed sola voluntate fecisse . Quid quod in ipsa magnitudine aded admirabili manus aliquod potestatis tua argumentum elucescit : nam duxor illius , vbi tot perpetui micanit splendores in singula momenta , dico ea in quâ horula ipsa diuisa sexcenta efficit plus spatij superat , quam sit hic vniuersus terre & aquæ ambitus . Et tamen aded magna est machina , ut cum tanta velocitate sidera ferantur , quæ omnem humanam cogitationem excedat , (nihil enim tale vel fulgur effice potest , aut multo minus tormentum ullum bellicum , aut sagitta) quiescere tamen , & omnino immota manere videantur . Atque rursus cum immota maneant , tam procul absunt , ut maximas & incredibiles spatiorum magnitudines superent . Cur ergo qui non te adorant & eolunt qui te impij spernunt , hoc vel solum quod oculis subiicitur , quodque certis rationibus constat , non suspiciunt : nam reliqua quæ nobis abdita sunt , ac sensibus non subiecta , nec mës nostra capere , nec si scire detur , explicare fas esset , aut multo minus vobis intelligere licet . Hæret iam animus , horret , stupet , denique lapidescere videtur , & mens ipsa amens fieri , dum hæc solum quæ oculis subiiciuntur , considero . Solem hunc videtis , quem vos pedis magnitudinem vix implere existimat : hic molem terre & aquæ plusquam centies ac sexagies superat , atque eo multo maiora sunt multa astra , longè autem quæ Canicularum nomine significatis . Sed hoc non est quod admirari debetis , quâquam maximum sit ; sed quod tantillum cum sit Solis corpus , vniuersum huic Órbi , aded magno , ad ipsum illustrandum sufficiat . Sepe ego testatus sum Vos me odisse , ô mortales , sed non vos ipso odi , verum temeritatem ac stultitiam vestram . Quippe cum opera hæc tam magna , & supra vestram mentis ac sensuum capacitatem , intueamini , cur est quod tantum Numen totis viribus , non verbis ipsis , sed factis ac piâ mente non vereamini ? non colatis , & adoretis ? cur illi non perpetuè puris votis non supplicatis ? cur non timetis ? cur inobedientes illius mandatis , cur peruvicaces estis contra illum , contra quem etiam omnes vñà consentiatis , nihil potestis , ille autem vel nutu ipso vos omnes deletere potest . Cur ergo cum tales sitis , ego vos maximo odio non prosequar , nondam-

nem , non accusem ? Verum ad Te , Optimè Deus , reuertor , à quo vñiam velis nunquam etiam vel volés ipse discedere queam . Ita mihi ignoscatur opto & rogo , tuus vel etiam inuitus ut sim facias cupiam . Quid illud æternitatis tuae arcanum , in quo & omnibus præsens , & illa tamen diffuerè patet , & si alla etiam æterna esse velis , tu tamen ante ipsa esse possis ? Quid quod immensitas pater cum sis , vbi sis nemo nouit , nisi ex operibus ; magnitudinem autem tibi tribuere , profanum est . Ita præsens es omnibus , vt nullibi sis : & magnus , vt nihil extra te sit . Sic & illud tursus maximum cœlum ferri velocissime , liquidum esse , nec tamen solui , cum apud nos vel mediocri motu etiæ ipsa metalla liquecant . Et sidera quæ in ipso celo infixa sunt , tam tenui materiæ , quoniam pacto radios Solis etiæ ad nos reliquunt cui rei locuples testimoniū luna afferit . Hæc atq[ue] infinita alia , quæ iam facta admiramur , neque quomodo fieri potuerint , deprehendimus , non solum maxima sapientia , sed immensæ potestatis argumenta sunt . Verum quanquam hæc laudis ac glorie , potentie , insignis sint indicia , cum tamen ad infinitam dignitatē conferuntur , quæ vis absque meta , maietas absque termino continentur , hoc solum ostendunt admiratione dignum , quoniam pacto finitum in infinito comprehendatur , aut quomodo infinitum finito potuerit indigere ? Multis enim persuasum est , quæ infinita sunt , nihil extra relinquare , nec quæ in infinito continentur , finita esse posse . Sed tamen ista quamvis necessaria non sint , possunt admetti : nec est quo indigentius , vel quo componatur , sed effluit & iuxta metam fulceptionis formatur ac definit . Nam modus ipse agendi , cum ex nihilo vniuersum , imò hæc vniuersa sunt , infinitam ostendit potestatem , ne infinites infinitum esse necessis sit , si hæc infinita forent . Etenim non in producōto hæc est immensitas , sed in te ipso . Auge in nobis itinen diuinitatis tuae , si si tua arcana vis ut pandam ? Quid enim hoc est , momento iplo omne tempus comprehendisse , vt mille anni nobis , nec dies una tibi sint ? neque tursus mille tibi anni nobis una dies ? Quota enim pars vita tua æterna sunt mille anni , non vita nostra dieculæ , quantumvis etiam longissimæ , certa portio est : vt etiam mille anni nobis , cum estimatione rerum nostrarum , maximum contineant spatium temporis ; in te cum minima sint portio diuinæ vitæ , inò ne portio quidem , vicem puncti , & minus quam dieculæ obtinebunt . Quam rem cum ego mecum reputo , vix ullam felicitatem tam diutinam , tamque magnam esse posse reor , quæ homines si saperent , beatos reddere queat : atque ob id in dies ratione ipsa suadente , minus ac minus ad humana hæc bona , fortunæque dona optanda , cupidus euado . Sed iam quasi sub hyenis niuibus ac gladio totus torpeo . Vtiam mihi , ô Numen præsentissimum , des , vt tam tui quarumque rerum amore ardeam , vt in mortalibus refrixi . Sed video id necessarium contingere , vt prius veterent hinc folidumque horninem exanimus , quam illum splendidum & purum induamus : quamobrem

non leuis muneris esse duco , iam illum magnum ex parte exuisse. Itaque quid vos iuant, o mortales , regna vestra atque gloria, stirps longa felicitate deducta, postquam neque in his, in quibus felicitatem esse existimatis, felicitas vlla est , nec diurnum hoc vestrum regnandi tempus , cum ad Dei maiestatem, cum ad id quod verè est, confertur, puncti vel momenti vicem obtineat ? Eja agite iam , expurgescimini tandem omnes. Quid enim vos iuant filii , fratres, consanguineique in tanta solitudine ? quid diuitiae vestre in tanta omnium verorum bonorum inopia ? quid vita longitudo in tam breui curlo cuiusquid gloria hæc inanis in tam contempta conditione ? quid denique ambitio, fastus ac superbia vestra in tam humili sordidoq; statu rerum vestrarum? Quid si ab his incommodis huius corporez molis , ab his difficultatibus, ab his necessitatibus continget liberari , existimo quod nunc ego sentio, quod nunc ego video , omnes vos , aut saltem maximam partem sensuros. Quare qui iam hanc sordidam vestem exiustis, cur est ut denuo in luere curetis ? & qui tantis laboribus verus hoc edificium diruistis, quod vobis finere liberum erat, cur modò cum tot incommodis reparare tentatis ? Persistite in iudicio , permanete in sententia, cum nihil melius, nihil dulcius, nihil iucundius animis vestris esse possit intuitu hujus lucis, memoria tam præsentis boni, intelligentia immensa sapientia. Sed ad rem redeo, unde digressus eram, eo studio quod superem omnes nos homines, ut par est, tuæ Divinitati tam addictos esse, quam tua postulat dignitas & beneficiorum magnitudo , & quam mihi optabile esset, cum tot artis exempla, cum tantæ sapientia specimen edidisset, atque admirabili potestate ex nihilo momentaque tantam molem constituisse, illud etiam addidisti , ut tot instrumenta absque instrumento , tantam retum multitudinem vnum, tantam varietatem sine vlla varietate consideris, cunctaque sola voluntate creaueris, ut idem penè fuerit, voluisse atque fecisse: cumque in omnibus , ut penè dicam, maius sit velle quam posse, pluraque cupiant quam efficere queant, in te vno plus possis quam velis, aut quod non solum mihi, sed omnibus certissimum esse debet, saltem nunquam veles , quod prius non possis. Immensus certè amor, immensa sapientia , immensaque potestas : sed si comparatio tali licet hic vti, nihil ipsa potestate immensius est. Quæ enim Sapientia constituit mundum , hæque beatas mentes, nonne à te parente primùm profluxit ab æterno , in teipsoque nata est ? cuius non exemplum minus elucebit in his quæ videmus, quæ agnoscimus, quam in infinita potestate. Quis terram in medio pendente constitutæ nouisset tam tuæ tantam molem ? Tu tamen appetitu centri eam firmasti. Quis prohibuisset ne ab aquis fluentibus mergeretur? ut tu terram , ut absorberet eam, ordinasti, illam , ut descenderet, iussisti. Quid iussisti ? mentior coram te, sed non apud te: voluisti , dicere debueram. At nonne scriptum est , verbo Dei cœli facti sunt? qui per aquas in se quasi distillando re-

deuntes, ne non semper terra ab eis irrigaretur , fecisti fontes & flumina : quique eodem modo ex salsa dulcem , & siderum visus trahens, ac rursus demittens, pluias effecisti. Qui balneas calidas in hominum commoda fabricasti , vt ipsa fibi frigiditas hostem quasi pararet atque seruaret. Montes autem (quid de ornato dicam ? illum prætermittere volo, ne inter tuæ immensa sapientia exempla, quicquam nostræ mentis capacitatib[us] mediocre subligeret) ut nunquam nobis aquarum copiam deesse patenter, nec ab eadem opprimi. O diuinam verè tuam mentem, quâ eodem invento duobus maximis contrariaisque inuicem periculis prouidisti ? Omitto nunc nimium conseruationem, auras frigidas, arborum proceritatem & firmitatem , metallorum commodam exhibitionem , saxa ingentia humanis viibus ad structuras accomodata : Quæ omnia cum ad egregiam utilitatem pertineant, sic illa cum necessitate coniunxisti , decorèque ornasti , ut non solum magnitudine utilitatis, & multiplici vnu, sed ipso ordine , ipsaque coniunctione, tantæ sapientia specimen aliquod non mediocre apud nos (nam apud te, quæ nos maxima esse existimamus, leuissima esse scio) declararent. Verum & illud deesse videbatur tantis commodis, ne aquæ non in terræ superficie contineri possent, nec piscium vita, nec nostris commodis , nec vniuersi pulchritudini consultum esset. At tu quam facile omnibus occurristi ! Pendere tractu siderum, concuti ventis, & stûque maximam maris partem agitari, solidum esse imum salis copiæ etiam additâ voluisti. Quibus eriam prospectum est, ne tanta aquarum moles putredinem contraheret, aut in vnam partem defluere cogeretur. Ac interim ei incommodo prospexit, ne terræ medium nimis à Solis radiis exurceretur. Et ne omnino tam potentis sideris vi , imbecillis aquarum succumberet, quantum ob vim ab illo metuebatur, tantum nubium molem assiduitatemque auxisti : ut sic rursus obuiam eodem medio duobus maximis atque inuicem contrariais incommodis irtetur, scilicet ut nec aquâ destitueremur , nec illius copiæ obtueremur. Similique terrarum munimentum magnum fabricasti, atque ita omnia temperasti ut tuæ sapientia magnitudinem, nostræque imbecillitatem , qui præsens hoc arcanum nec sensu dignoscere , nec mente ipsa comprehendere valemus , testimonium præberent. A te frustra mortales quicquam nisi fatigis ipsis exorant, cum nihil nobis ex merito, sed gratuitâ liberalitate , nec ipsam bonam despiciens mentem, vbertim largiaris. Qui Reges in eorum pœnam constitueristi Dominos , & Tyrannos in subditorum vltionem imperare permittis. Qui nullo in loco es, sed ante omnem locum in temetipso solum: non magnus, neque parus , sed immensus. Instituisti vitas has etiam ante locum, ante tempus in semetipsis, atque exinde in in te solo constitutas, mundum vero & locum, ac tempus continentem, ut quod sit solum esse velis. Dubiâ ego in luce, in tenebris ipsis vagabar : quicquid luminis & claritatis ac veritatis adeptus sum , à te ipso

ipso proficiscitur. Quod nunc , quod olim eras, ac eris, idem est ; at nos , ut vestis male contexta , senescimus , & mutamur in deterius. Quis constituit Solem, tanquam Regem inter sidera, eiusque motum superiorum triū motibus certā ratione ita coequauit, ut nullā ratione adhuc constet? Atque hæc et si sci-ri possint à nobis, supra nos sunt, cùm lumen hoc tuum imaginib⁹ numerorum & mensuram non adhæreat , sed mortalitas ipsa hæc singit : cùm verò altius progrederit, ne singere quidem potest. Sumus nos , & nos esse scimus, etiamē somniaremus, qui tamen & cur nescientes. Ita mundum esse scimus, nec magis quid in illius sit limbo atque corona scimus, quām vermis in auellana genitus nouit auellana corticem , aut quid extra eum sit. Qui significas pluribus diuersā lingua loquentibus idem , quasi vnuſquisque propriā linguā loquentem audiat : Et effecisti verba imagines disciplinæ veram doctrinam mentibus his tradidisti. Constituisti terram & maria in æquilibrio, & cœlos ipsos in æquitatione : cum regna & imperia eo ū sic tempore & ambitu certo definieris, ac filios Anacyndaralim præesse permiseris, vt in alias gentes dominatus devoletur. Qui numerum, qui mensuram omnium sic certā ratione definiti, ut eorum quæ sunt , fuerint, eruntque, nihil te fugiat. Et æterna miscuisti caducis: atque ex his imaginem quandam perpetuitatis effinxisti. Beati omnes qui te amant , & in te ipso confidunt : atque etiam hi soli beati esse possunt. Beatores autem qui te intuentur. Beatissimi verò qui te simpliciter agnoscunt. Tu ille es , cui nihil adueratur, sed ut cœctas & surditas, defectus sunt eorum qui te oderunt. Quibus permisum est ut te agnoscant, hi ne ament te, omnino fieri non potest. Maxima ergo gratia est tūc vnicè diligere: ab his enim , quantum illis fas est, cognosci voluisti. Quid ergo impio relinquitur nisi error & desperatio ? qui cùm morituros se existimant, in quo melior est eorum conditio, quām laterculi in formace cocti. Non est vita præter tuam, nec nisi à te: & idēt̄ æternitatis particeps. Quæ omnino deficiunt, vmbra vita solum alsequuntur. Vita vera non deficit, ut neque splendor in tenebras verti potest. Quid gloriamini impij cum vestra potestate ? Nonne sicut laterculi, qui in caput hominis cadentes interficerunt. Iustum opprimitis & iustum occiditis. Delictis fruimini: his fucatis bonis abudatis ? Quid inde , postquam à vita truncō auulsi estis : nec ramusculus vllus ex illo ad vos peruenit ? Gnauiter agite , qui Numen æternum amat̄is , & ne salutem quæ in illo sola reposita est, desperetis. Quid Attaxerxi nunc, aut Cæsari, vel Alexandro ? quis illos non coenæ vni postponat ? quis eorum voluntatem curet ? & quis vbi reliquias ipsorum si superessent, esse fustineat? quin potius canum cubile, & sordidam paleam illis omnibus præponat, atque eis infidere malit. Vbi ergo est vestra gloria, vestra gesta, vestra potentia atque delititia ? Omnia inania , quæ à suo trunco auulsa sunt. Quid illis residuum, nisi diræ cædes & impietates ? Consolamini afflitti, & exultate , qui spem in iubate isto

repositis, vbi neque timor est interitus, neque suspicio indigentia, neque metus obliuionis, nec ingratu intuitus atque operis formido esse potest. Laudate vos vicissim, ac vobis ipsis blandiamini : nihil tamen vobis superest, quām mouere affectus, & non recordari vestræ conditionis , quorum uno exiūtis, quantum vobis licet, infelicitatem; altero etiam existimatis vos esse felices Quo fit ut non amplius, quod ego cum multis ob veritatis amorem tanta passi dolebamus, dolore afficiat. Quid enim mortales dare possunt præclaris, cùm nihil habeant præter gratiam tuam, qua sui non est arbitrij, aut auferre, cùm nihil beatum sit apud illos. Si potuit Vir vnuſ geometricis figuris intentus non sentire mortem, aut saltem patræ ruentis casum, nec exitij instantis metum : quid ego, aut alijs quispam intentus in tuum benignum iubar, mali in morte sentire potero? Ruant faces , tela, carnifex instet, filios in tormentis alius discruciet, fama, nomen pefsum eant: quid è vita , quæ cum amore tuo coniuncta sit, admirare poterunt ? Exiguū sumus, & ex minimis coacti , mirarique cogimur minima , cùm magna non intueamur. Sequimur anxiè vmbras, donec veras res videare contigerit. Non possumus despicere terrena, delicias applausū que mortaliū, quovalque te non viderimus. Eja, eja mortales, qui vobis larvas singitis, deos alienos, & aliena sequentes : hoc ipsum quod totum est , qui omnia potest, cūque omnia debetis , relinquitis? En ingratum facinus, maximam amētiā, miseram calamitatem ? Vitam omnibus præstas tu solus , atque adeò abunde ut omnia germinent. Ex te fecundus ille amor generandi, sobolem fouendi, educandi, atque etiam instituendi, totus manat : sed ad eos quos etiam magis diligis, etiā virtutis amor, atque ipsa denique virtus ; inde etiam præclarum veritatis studium, ac demum sapientia ipsa manat. Nos verò amentes excordēsque mortales, colimus aut Dæmones, aut alia turpiora. Est aliquid sapere in vno homine, & admiramus siquem viderimus excellenter at in omnibus qualis scientia ? Ea verò harum quæ hic adsunt, minima portio : at tua pectoris infinita est, nullo illa æuo terminatur, ut crassa rei effigie ducar. Quid ergo est ut postquam in longum, dicam, non terminatur, vel in latum, vel profundum, finem aliquem habeant? Si igitur vndequaque immensa est ac infinita, neque hoc ipsum quod intuemur, circumscriptum finibus vllis existimabimus. Sed ea timemus mortem inopinam, gloriam nominis extingui , sobolem desiccare, monumenta nostra aboliri, aboliri sapientiam? Non sat recte, neque prudenter. Vita quidem , atque gloria nostra omnis in te vno reposita est, sapientia in omnibus his qui te circumstant, atque abunde: nullius rei maior copia. Solum apud nos vmbritilis quædam & exigua pars habetur, cætera omnia fecunda sunt verā & solidā sapientiā: seu ad mentes has, seu vitas, seu quæcumque sunt antē locum, quibus hoc ipsum quod tu es, immensum repletum est, seu ad te ipsum. Stipula nostra sola relista est, in qua ne pereat sapientia , peticitur. Quid hoc est

aliud quām si metueremus , ne in abundātia optimorum pīscium marinorum viuentium pro apparatu conuiij prēparatorum , quisquam metueret , quīd sordidus pīsciculus ē stagnō iam semiputris abiiceretur . Nonne videtis mortales , quicunque huc pertuēnire potuitis , quām splendida sint omnia , quām clara , quām sapientiā plena ? Vos ergo timetis , ne vmbra illa vestra atque confusa opinio vobis pereat . Cæterū quod ad opes attinet , quid miseri accidere potest , cūm paucō pane , atque pomis , & aquā Natura contenta sit ? Reliqua sunt ad cupiditatem , quā carere decet eos qui te cupiunt ; aut ad fastū , qui eorum solūm esse debet , qui conditionem propriam ignorant . Extinguentur monumenta & soboles ? Et hæc in oranib⁹ extinguentur , licet in quibusdam paulo seculis . Verū si iam natos filios amittere durum est , an putas , ô mortalis , semper posse superesse ? At si animū illorū ? quomodo meliū quām hīc apud vos esse poterit ? aut felicior , aut amabilior ? An quemadmodum qui ligneas & lapideas statuas coluerunt , vos vobis quādam felicitatem plenam nūgis , fabulis , inscritiā atque inani spe ? At & cum illis bene actū est à te , ô Numen , qui plurim illis tribuisti , quām sperarent , imò quām vel exigere auderent . Ergo quām immensa in nos sunt tua beneficia , ô iubar , & quæ occulta sunt transmissa natura ministra ? Genitos esse , nutriti , adolescere , valere , robore præstanti esse , confidere posse quæ edimus ac bibimus , aduersa tot propellere , alios nobis similes generare , tot membra , partes , meatus in vīs nostris , nihil otiosum , nihil quod nobis esset inutile . Et quæ nos cognoscimus ipsi , videre , audire , ambulare , recordari , tot sensus , tot vires mentis ac corporis : sed præter id quæ supra hæc communia sunt , artes , scientiæ , ordines , commoda , domus , equi , currus , naues , regnare & imperare , aut in Republ. autoritatem habere , leges , iudicia , magistratus : tum vīdū maiora sunt , iungicūm his qui hīc astant numinib⁹ , arcana Naturæ cognoscere , & Diuinarum rerum in mortalitate esse particeps . Verū quod maximum est , quodque nec sperare , nec petere , nec velle ausi essemus , vnam habere cum his mentibus coniunctam naturam , mentis que immortalitatem , cuiusnam tantum est hoc beneficium , quām tuum cuius tanta benignitas , tanta liberalitas ? Nonne qua hæc atque gratuita Quonam fact⁹ , aut dīct⁹ , aut cogitatione ista promereri potuimus ? An sordidis nostris desideriis , aut impiis fact⁹ , aut inanibus verbis ? Tu tamen amplissimā liberalitatē ac munificentiā tuā nos reos maiorū criminum effecisti : priūisque nos desinemus esse improbi , quām tu beneficus . Qui cūm non solū in hoc nostrum humanum genus , menūisque capacius altæ , animam , vitam ac scientiam infudisti , sed etiam usque ad culices , pulices , formicālque tua illa immensa benignitas permeet , nullo fastu , nullā ambitione , aut indignatione maculata vel obscurata . O prouidentiam ineffabilem , ô liberalitatem immensam ! ô amorem infinitum atque purissimum ! Qui maluisti tua dona immortalia communicare , neglegis at-

que despēctis his inferioribus , quām vel minimum huius sordidae materiæ , & abiectæ Hyles , & rapacis inconstantilque fecis , ignoratum relinquerē . Luunt animalia illæ penas , sed cum dulcedine huius vīte & sensuum illecebris . Non poterat totum incorporeum fabricari , si debuerat esse perfectum . Defuisset locus , tempus , vicissitudōque rerum ac varietas , qua magnam afferat voluntatem : nec sensus præstantia dignitatem recipere poterat , si corpora omnino defuissent . At propositis corporibus animæ restabant . Vbi enim suavitas odorū , dulcedo savorum , pulchritudo florū sine anima esse poterant ? At decuit eas esse animas , qua hæc ingredi corpora non indignarentur aut recūlarent . Creasti illas : vt enim remotores à te , ed dignitatis ac felicitatis minoris participes fore necesse fuit . Sed tamen & illas in suo genere perfectas , & ab omni macula atque iniuria , dolore molestiāque imminentes esse decuit , vt libenter munus suum subirent , nec suæ dignitatis aut officij pigliteret . Ita effectum est hac infinita & incomprehensibili sapientiā tuā , vt & materiæ huic deiformi prospiceretur , & mundus ipse ornaretur , & sensus gaudenter , nec quicquā de dignitate aut felicitate animarum deparet . Verū dicat aliquis , (scio enim quanta sit cupiditas mortalium omnia cognoscendi) cur non omnis moles hæc corporea pura facta est , vt omnia mortis , quemadmodum superi hi , experta essent . Non possum , non valeo hæc dicere , ac cuncta referuare , sed fatebor ingenuè me nescire : dicam tamen coram te , hisque mentibus , quas factum hoc scire puto , quid conjecturā assequar , non vt vera dicere in tam ardua caula posse spērem , sed vt etiam ante te mortalitatis nostræ speciem reddam , & audacie , & temeritatis , ac inexhaustæ cupiditatis , denique planè absolutæ stultitiae , quæ nobis omnibus hominibus ab ipsis incunabulis indita fuit , specimen non leue referam : nam proflus infinitus & perditæ amentiæ esse scio , ea narrare velle quæ nesciam , his ipsis qui illa qualiter se habeant , perfectissimè norunt . Sed pergam tamen , vt morem communem nostri generis sequar : scilicet velle alios docere quæ nesciant . Desinere oportebat in aliquid ordinem hunc à te procedentem atque finiri , nec patiebatur ipsa rerum series carere ultimo , cūm ordinibus non magnitudinibus esset distincta . Cūm igitur ad extremum deuenisset , Hylen ipsam conficit , inanem , vacuā , exhaustam , ac penè tenebricoso vacuo similem . Equidem si eam non creasset , non usque ad extremum series ipsa rerum deducta esset , sed adhuc aliquid agendum relinquētur . Solū ergo facta est quando nihil melius fieri potuit , absolutis iam omnium meliorum ordinibus . An ergo par erat illam destitui ? Posset quidem , sed suæ liberalitatis esse duxit & illam animis informare , atque ad vitam reuocare . Verū animæ ipsæ tam informe barathrum ingredi recusabant . Itaque datæ sunt illi corporeæ formæ : quas Hyle , vt est inconstans & auida , perpetuū executere nititur , atque vnam pro alia subiice . Atque hæc fuit mortalitatis causa necessaria .

Laria. Neque ergo derratum quicquam est ex meliorum procreatione, sed quasi ex superfluo ex perpetua defluxione esse, substantiam, vitamque accepit. Sed & in hac tam peruvaci conditione huius rebellis ac nefariae rerum ipsarum nouerat, quanta protulit admiranda tua præclara Sapientia, vt & in tam sordidis reliquiis species diuinitatis resuleret. Primum elementa ipsa, elementorumque motus adiutoria eccl. circumambientes terram, metallica tot, & metalla, lapides, speciosæ gemmæ; inde herbæ, frutices, arbusta, arbores: indeque illarum ornatiss., folia, flores, fructus: insecta, serpentes, animalia quadrupedia, volucres, innumera piscium genera, tot illorum admirandæ partes, conchylia, ostrea: Demum homines, & inferi, & superi, & quicquid inter illos nobilius est ipsa mortalitate, lapientius atque decentius. Opera quoque non solum horum, sed etiam eorum quæ mente carent ad stuporem usque admiranda. Hinc mores, leges, curæque filiorum, cubicula, victus, industria: & quod magis mirum est, nullo præceptore dicidisse optimè, facere quæ nesciant. Sed iam ad altiora me recipio: quandoquidem etsi hæc à nobis melius intelligantur, inter ultima tamen Diuinitatis opera, ac quasi (vt apud nos dici solet) succisia reponi debent. Iam primum Te ipsum solum, tuaque admiremur. Quid si hoc fas non est, non licet, non possumus, maiora enim sunt longè arcana fistorum Sacerdotum Ægyptiorum atque Atheniensium, hominæisque ac monstra pro Diis colentiū, & pro fabulosis seria: horum qui tibi propius ordine astant, laudes dicamus: neque enim dubium est eas etiam omnes tuas esse, & ad Te peruenire. Et quod quicunque plus intelligit, sapiensque est, ed longius se à maiestate tuâ abesse cognoscit, quoniam plus est quod comprehendendi semper potest, quam quod comprehendere.

Quale illud: quid semper & invariabiliter

æqualitate perpetuam & ordinatam varietatem efficiens, mundum tam pulchrè exornasti. Cœli enim sponte dum iubilant, per eandem viam eantes tot modis, nullum sibi facessunt negotium. Genita verò hoc uno, vt per eadem continentur, admirabilis illius primæ constructionis rationem retinent, vt prius totum quam partes, & compositum quam simplicia, præceptum tuum seruasse videantur. Nam dum totum hoc unum simile sibi producit, innumeræ illas partes singulas singulis conformat. O: immensam tuam Sapientiam, in his etiam quæ deprehendi à nobis possunt, conspicuam. Sed quæ pars hæc tanti dicam operisne an operum? cum in hoc ipso, & in immensitate tantam facilitatem, & in tam simplici facilitate tam altæ Sapientæ specimen ostendisti. Deus ex quo omnia, mentem mihi dona. Vnde mihi tanta cognitio nisi à te? Et vt ex astantibus tibi dicere scirem, aut auderem, aut rectè possem? Dei summi vita, domina mei, serua me. Vbi & sensus, & actionum numerus, & elementorum perfectionem in utroque retinent, & primæ processæ quæ diuisione immortalia à mortalibus seiuænta habent. Quodnam malum homini tam magnum euenire potest, quod diuinis Sapientæ tuæ muneribus largè non superes. Modò liceat limites tangere extremos abditæ tuæ comprehensionis. Et nomen tuum nimis magnum est, quoniam Tu idem ipse es: Et qui illud suo genio prætexuere, ceciderunt, & dolo agentes in dolis pertinuerunt ipsi, aut stirps eorum. Neque in potentia confidant Regna, omnia enim tuo ex nutu pendent. Nisi effuderis in me lumen tuum, non possum scire quæ tua sunt, neque dicere an sanguinarium virum diligas, qui asserat se ob mandatum tuum hæc facere. Ignotum enim mihi est, an humanæ manus placeat vindicta improborum, & legem tuam contemnentium.

